

**Disputatio medica inauguralis de amputatione artuum vulgo Abstossung der Glieder ... / praeside ... Georgio Franco, ... pro licentia et summis in arte medica honoribus atque privilegiis doctoralibus obtinendis publicè examinandam proponit Christianus Pilger.**

### **Contributors**

Franck von Franckenau, Georg, 1643-1704.  
Pilger, Christianus.  
Universität Heidelberg.

### **Publication/Creation**

Heidelbergae : Typis Wilhelmi Walteri, Acad. Typogr, 1675.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/t9af975g>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

*Auxiliante Medicinæ Authore*

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

AMPVTATIONE ARTVVM

Vulgo

Abstossung der Glieder

QUAM

PERMISSU ET DECRETO ILLUSTRIS

AC GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ

IN ELECTORALI AC PERANTIQUA HEIDEL-

BERGENSI VNIVERSITATE

PRÆSIDE

Viro Nobilissimo, Excellentissimo atque Experientissimo

DN. GEORGIO FRANCO ;

Med. D. & Profefs. Publ. Ord. Celeber-

rimo, Fac. Decano & Acad. S. R. I. Naturæ Curioso-

rum Collega, Fautore, Patrono ac Præceptore meo

per ætatem colendo

PRO

ICENTIA ET SUMMIS IN ARTE

MEDICA HONORIBUS ATQUE PRIVILEGIIS


DOCTORALIBUS OBTINENDIS

Publicè examinandam proponit

CHRISTIANUS PILGER, Lytzbur-

gensis-Frisius.

*Ad diem 7. Octobr. horis locoq; solitis.*



HEIDELBERGÆ,

Typis WILHELMI WALTERI, Acad. Typogr.

1 6 7 5.



Digitized by the Internet Archive  
in 2019 with funding from  
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30764634>



SERENISSIMO PRINCIPI AC  
DOMINO,

DN. CAROLO

D.G. COMITI PALATINO

RHENI, DIGNITATIS ELECTO-

RALIS HÆREDI, DUCI

BAVARIÆ, &c. &c.

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO



*Veni tota nuper Palatinatus extremo cum mœrore & animi  
angustia gravi afflictum morbo, nunc verò singulari Omnipotentis Dei gratia, quâ calidis nostris sanctissimo suo Nomini  
nuncupatis votis benignè annuere placuit, in spem & salutem  
totius Imperii Romano-Germanici præsertim nostræ Palatina-*

*us non sine publico gaudio & ovatione pristina valetudini feliciter restitu-  
tum videt, Ejus perennem incolumitatem post jam præstas summo Numi-  
ni actiones gratiarum publicas ex veteri acclamationum formula ardenti-  
us votis mecum vovet: Serenissime Princeps CAROLE, Deus Te cum  
serenissimo Patre ELECTORE, Domino nostro Clementissimo no-  
bis servet, Vestra Salus, Nostra Salus, verè dicimus, jurati dicimus: Hujus  
insimul Augusto Nomini, Disputationem hanc Inauguralem Medicam de-  
votissima mente consecro, & mea Studia humilimè commendo.*

SERENITATIS SUÆ

*Subjectissimus Servus*  
CHRISTIANVS PILGER.





PROOEMIUM.

**C**ùm Chirurgia, ceu nobilissimum instrumentum, simul cooperante Pharmacia quâ cum illa indissolubili vinculo conjuncta & constricta est, ut unâ sine altera vix persistere possit, in generosa hac Amputationis membrorum operatione & curatione scopum præfixum citiùs ac feliciùs assequatur; haud incongruè me facturum cogitavi, si hanc ob causam, nobilissimam hanc materiam, quæ, quantum sciam, apud nullum adhuc peculiari disputatione aut tractatu enucleata reperitur, sed sparsim saltem ejus ab *authoribus* mentio facta est, elegerim, præsertim cùm à teneris arti Chirurgicæ diligentem operam impenderim, illamq; quantum per vires licuit sedulò coluerim; sicut præter hanc quoque rationem calamitas præsentium temporum de hacce materia ulterius

us co-



us cogitandi ansam ni fallor sufficientem præbet, dum per frequentes conflictus hostium, militibus tam atrocia sæpe vulnera infligi solent, quemadmodum experientia quotidiana & crebra fama satis superque docent, ut de amputatione artuum ne totum corpus pereat Medicis & Chirurgis anxie cogitandum sit. Neque hanc operationem nimis violentam & cum crudelitate conjunctam esse existimaveris, quod exinde subjectum patiens contra scopum & finem Medici, qui in conservando & restituendo consistit, in integrum, non restituatur, sed potius membris suis miserum in modum mutiletur, & ex inde ad omnem laborem magnam cum jacturam inane reddatur, quoniam ad isthanc operationem, non nisi adhibitis omnibus aliis lenioribus remediis, quæ ad restitutionem membri contusi vel alio morbo affecti faciunt, perveniendum ducimus, ne sc. pars sincera trahatur, aut sæpe etiam cum vitæ periculo majus malum ægroto accrescat, sicuti in ipso Disputationis contextu



pluribus traditum est. His igitur probè per-  
 pensis, haud abs re mihi visum fuit, si tempore  
 hoc convenienti saluberrimam hanc operati-  
 onem loco Disputationis Inauguralis brevibus  
 exhibuero, quæ omnia ut vergant in De-  
 gloriam, & proximi salutem, summus faxi  
 ille Archiater!

## C A P U T I.

### De Nominali definitione & descriptione.

**Q**UAMVIS in aprico sit parum aut nihil operosam no-  
 minis enodationem ad tractationem hanc Medicam conferre  
 Medicus enim *ut Galen. 1. meth. med. 7.* non enucleatione ver-  
 borum sed accurata curatione, ita non verbis sed herbis ut dicere  
 solemus finem suum assequitur: Nihilominus tamen ne ignotâ via  
 versemur, tractatioque hujus commodius procedat, nominis Etymo-  
 logiam paucis exhibebimus: dicitur Amputatio ab Amputando. Voc-  
 catur aliâs quoque *sectio, detruncatio, Excisio artuum*, ut vel brachii  
 vel manus, vel digiti, vel cruris, vel pedis: *Germ. Eine Abstossung  
 der Glieder / Absehung eines Arms oder Beins: Belgis eene Exstirpatie:  
 Græcis ἀποκοπή ἄρθρων.* Definitur autem Amputatio, quod sit operatio  
 quædam artificiosa, quâ membrum aliquod: gangræna vel: Sphace-  
 lo infectum, mediantibus instrumentis aptis abscinditur pro conser-  
 vatione ægri. Debet verò amputari propter conservationem partium  
 vicinarum sanarum, ut cœtera pars corporis tuta sit, virus enim illam  
 semper ulterius afficiens, postea ad partes Principes mortem infert.



C A P U T II.

Num operatio hæc periculosa sit insti-  
tuenda nec ne?

Scio quosdam objicere tenentes negativam, non esse instituendam, quoniam periculosa, dubiusq; eventus; dolorem hîc esse intensum, inferre deliquium animi: præsertim cùm venæ arteriæque omnes membri amputentur, ubi nimia hæmorrhagia sanguinis facillè vitam cum morte commutat. Ita Felix Wirtz lib. 1. cap. 4. illam propter contractiones nervorum non approbat, dicitque à carnificibus inventam fuisse ac latronibus adhibitam esse: Et Salmuth. Cent. 1. observ. 80. Medicum & Chirurgum monet in amputandis membris cautè debere gere: Ad quod affirmativam tenentes ex Hipp. sect. 1. Aph. 6. appositè egerunt. Ad summos morbos summas adhibitas curationes optime alere: quin imo è sect. Interject. Aph. 6. quæ non medicamenta, ea sanare ferrum conjiciunt. Unde & Celsus lib. 2. cap. 11. vehementi malo, vehemens sit auxilium, dicitque axioma vulgare, inter duo mala minus esse eligendum. Et Ovid. 5. Metamorph. fab. 8. vers. 10.

*Cuncta prius tentanda, sed inmedicabile vulnus,*

*Ense recidendum est, ne pars sincera trahatur.*

Concedo itaque amputationem per quam tot ægri fuerunt conservati, cùm adsit voluntas ægroti, fortisque ipse est, & vires sint validæ, præstat enim hocce incommodo unam solummodo partem, quàm totum hominem amittere, sic Fienus lib. Chirurg. tract. xi. cap. 2. dubiam vitam certæ morti præferendam esse inquit.

C A P U T III.

Operæ pretium erit affectus ceu causas  
inquirere.



**F**lt plerumq; hæc operatio ab affectibus sequentibus, cum nimirum ex infortunio, ut vel contusione vel solutione continui, sic *Hæbol. Magius de vulneribus sclopet. Curat. fol. 263. lit. a. & fol. 265. lit. b. maxime fol. 267. & seqq.* vel alio ac vario modo membrum aliquod lædatur, unde gangrænam vel sphacelum incurrat, spesque restitutionis absit: Reperitur verò aliqua adhuc differentia inter gangrænam & sphacelum: Sunt etenim secundum aliquos corruptiones tales partium solidarum corporis viventis, mortificationesq; sine seorsum denegato influxu omnium spirituum imprimis in sphacelo: distinguuntur tamen ab *Aquapendente lib. 11. cap. 19. & à Sennero lib. Præf. part. 2. cap. 19. à Tagaultio verò lib. 4. pag. 24.* gangrænam esse in parte dum adhuc emoritur præsertim tendens corruptio ad mortificationem partium mollium, sphacelum verò in parte jam emortua, perfectamq; corruptionem ac mortificationem esse tam in partibus mollioribus quàm duris, nimirum ossibus: gangrænae adhuc medicamentis externis & internis obviam esse eundem, sphacelus autem hærens artibus à *Vigerio lib. 3. Chirurg. cap. 43. estimatur lethalis & incurabilis scribitq; de cancerosis ulceribus: Ulcera cancerosa noli me tangere dicitur.* Spes igitur curationis nulla alia superest, nisi hæc nostra operatio, nimirum amputatio membri: ita *Scultetus in Observ. pag. 126. & seqq.* quoq; affectum *spina ventosa vocata, à Tulpio autem lib. observ. 12. Cancerosis,* ceu causam membri amputati proponit.

## C A P U T IV.

### Subjectum Operationis.

**S**Olet ut plurimum fieri operatio in artibus, ut pedibus & manibus, quia frequentius præ cæteris partibus hoc malo molestantur sunt etenim longè hæc partes à corde ceu fonte caloris distitæ, frigorisque non admodum resistere queunt, frigus liquidem externum facile in partibus calorem debilem sua sævitia extinguit, ac ita extincto calore sphacelum inducit: sic loquor de pedum & manuum ablatione, quæ hic per amputationem auferuntur. Duo verò in operatione



tione observatu digna sunt. 1. Vires ægri. 2. Mortificatio & locus amputationis : Vires considerandæ sunt, inprimis Spiritus vitales, cœu *ἐπιτομα* corporis humani, afert enim generosum hoc remedium magnam debilitationem tam propter metum, quàm propter dolorem & hæmorrhagiam, quare animus & voluntas ægri requiritur, temperamentum sit bene dispositum, præsertim media ætate cùm est, ita ut vires permittant, aliàs operatio amputationis esset relinquenda. Dein : Mortificatio erit perpendenda, ne sit nimis altè vel supra cubitum vel supra poplitem, si longè ascenderit, amputatio non benè est facienda, eritque difficillima propter partes vicinas & principes, quæ putredinem ex illa accipere possunt : postea omnes venæ & arteriæ eorum membrorum sunt magnæ, unde cum amputentur, hæmorrhagia magna, quam mors sequeretur, ideo *Hildanus* Sphacelum à pede ortum, indeque genu ipsum transcendentem lethalem existimat, verùm necessitas planè frangit legem, & nobis exempla ac observationes membrorum supra genu amputatorum satis demonstrant, licet melius infra cubitum vel poplitem concedatur ? An verò amputatio sit facienda in loco sano, an in emortuo difficultas est : quidam statuunt ut *Aquapend.* in carne ægra proximè apud sanam esse faciendam amputationem, ratio, ægrum hic nil sentire, deliquia animi, hæmorrhagiæ, dolores ingentes, graviaque multa symptomata, quæ omnia maxima hâc in operatione inferunt pericula, evitabuntur : Verùm alii contrarium, quia omnis operatio frustra erit, etenim pars quædam gangrænosa relicta manens ad sanam partem serpit, ac suo miasmate malo sphaceloso iterum inficit. Quare cum Medicis consentio, ut *Albucasis libr. 2. cap. 87.* & *Celsus lib. 7. cap. 33.* quorum omnium opinio est, ut amputatio fiat in parte sana, non tamen in fine proximè apud ægram, sed remotè ab ea, spatio digiti unius transversi : Ita his verbis *Theodoricus lib. 3. cap. 10.* & *Felix Platerus tract. 2. cap. 17 testatur, nihil carnis putrida derelinquas, sed magis de sana & viva carne aliquid auferas, tunc & melius & citius curabis :* sic quoque prospiciendum est, cùm ægro in pede ligneo crure utendum, ut in sana parte, quæ aliàs otiosa in posteriora vergens, ac nullam corpori utilitatem præstat, sed potiùs impedimento est, ratione commodioris ambulationis amputetur. Restat adhuc an amputatio in articulo sit facienda nec ne. Hanc quidam faciendam censent ut *Barthol. Magius* ob has rationes.



1. Non fieri hæmorrhagiam cum sectio fiat in articulo. 2. Non debet nudari medullam ossis, nam natura longum tempus requirit ad generandum callum ante medullam. Sed contrarium potius in praxi observare licet, quoniam sectio articuli non statim invenitur propter locum conjunctionis ossium duorum, neque malum semper propter articulum, sed circa medium vel finem existit; tandem etiam æger super lignea tibia in junctura non potest incedere pro ut vult; idcirco melius dicendum puto, sectionem fieri sub articulo, nisi gangræna in crure & usque ad genu ascendit, quo in casu necessitas sectionem in articulo requirit. Tendit autem Principalis nostræ Disputationis scopus eò, ut demonstremus quomodo nempe operationi in amputatione artuum æquè Medicamentis pharmaceuticis ac Præsiidiis Chirurgicis sit succurrendum.

## C A P I T U L U M V.

### Ante operationem quæ requiruntur.

Suppeditant nobis aliquid ad hanc operationem omnes tres fontes medicinæ. Fons Chirurgicus ceu primarius interdum venæsectionem suadet. Fons pharmaceuticus medicamenta varia subministrat ut purgantia, sudorifera, cordialia atque opiata. Fons diæteticus vero strictè semper est observandus. Quodd ad fontem Chirurgicum pertinet, respectus habendus est ut *Hild. pag. 814.* an sit æger plethoricus & juvenis, calidique temperamenti, vitium enim quàm maxime in massa sanguinea hæret, tunc emissio aliqua sanguinis conceditur, ita tamen pro constitutione ægri, quoniam sanguis, cum plus effervescit, ad majorem effluxum ex illa ebullitione in amputationem ansam dat: Sic *Salmuth. Cent. 1. observ. 80.* ait *satius est ex Hipp. sententia Venam tertio vel quarto die secare tali modo hoc affirmat Ioh. Colle libr. de vulnerib. cap. xxvii.* Cum verò requisita prædicta non reperiantur ac constitutio contraria sit, dissuademus. Ex pharmaceuticis patienti ante operationem profunt, vel Clyster vel purgans aliquod lenè. Si



verò ita ne corpus planè alteretur, sed saltem reddens alvum lubricam, idcirco non inutilis, Clyster erit, sequensque adhibeatur.

R. Herb. Emoll. āā. m. f.  
 Flor. Chamomill.  
 4 Cordial. āā p. ij.  
 Rad. Scorzoner. ʒj.  
 Alth. ʒiij.  
 Coq. in f. q. Aq. font. ad ʒvj.

Colat. add.  
 Elect. bened. laxat.  
 Ol. violar. āā ʒi.  
 ʒ gemmæ ʒj.  
 M. f. i. a. Clyster.  
 detur & applicetur.

Postmodum necessarium erit, ut humor vitiosus evacuetur, ita autem ne spiritus vitales imminuantur, & quia æger vel pulverè vel potionem vel pilulas assumet. Omnes tres sequentes adjunximus formulas.

Pulvis purgans.

Hauustus purgans.

R. Resin. Ialap.  
 diagryd āā gr. iij.  
 Tartar. vitriolat.  
 Crystall Tartari āā. ʒß.  
 F. S. art. pulv. d. ad chart.  
 Sig. Purgier Pülverlein.  
 auff ein mahl.

R. Tartar. vitriolat. ʒj.  
 Ialap. ʒß.  
 Elect. diacartham.  
 Sir. Ros. sol. cum senn. āā. ʒij.  
 Aq. fænicul. Unc. j.  
 M. f. H. pro una vice  
 Sig. Purgier Träncklein auff  
 ein mahl.

Vel inserviant sequentes pilulæ purgantes.

R. Resin. Ialap. gr. iij.  
 Extr. Agaric.  
 Cathol.  
 Rhej. āā. gr. v.

Ol. fænicul. gutt. ij.  
 M. F. Pilul. f. à  
 N. vij. deaurent.

Ita & diaphoretica hîc non sunt rejicienda, quia sanguis ab impuritatibus purificatur, malitiosæ reliquiæ per sudorem expelluntur: quare sequens sudoriferum commendatur.

R. Theriac. optim. ʒj.  
 Antimon. diaphoret. gr. vj.  
 Aq. theriacal. simpl.

Card. bened. āā. Unc. ʒ.  
 M. F. H. sig. Schweiß  
 Träncklein.



Ante omnia medicamenta confortantia & corroborantia adhibenda sunt autem nec nimis calida , nec nimis frigida sed temperata . debentque duabus vel tribus horis ante operationem amputationis pot rigi : Et sunt vel Aq. Cord. Borrage. Cinamom. vel Confect. de Hyacinth. Alkerm. Magist. perlar. Corall. Fragment. lap. s, pretios. preparat. Sic parantur potiones : vidique de sequenti potione ægroti cuidam tam ante operationem quàm durante illa per intervalla per confortatione dari.

R. Vini vetust. optim. ℥ss.

Infund.

Theriac. Androm. vet. ʒj.

Conserv. Flor. Anthos.

Borrag.

Betonic. ʒā. Unc. ℞.

Fiat Colat. add.

Confect. Alkerm. ʒ℞.

Mag. Corall.

Perlar. ʒā. ʒj.

Aq. Cinamom. Unc. ℞.

Ambr. Gris. gr ij.

M. F. Potio d. in vitr. sig. Stärkung Löffel weiß davon einzunehmen

Si metus syncopes in ipsa operatione adest sequens adhibendum balsamum.

Sic Epithema aliquod cordis regioni appositum, non erit inutile.

R. Aq. Ros.

Violar.

Borrag.

Bugloss. ʒā. Unc. j.

Spec. pro Epithema cord. ʒ

Cort. Citri.

Croci ʒā. ʒ℞.

M. F. Epithem.

Sig. Herz überschlag

R. Balsam. Apoplect. Crol. ʒj.

Cinamom. ʒ℞.

Ol. Caryophyll.

Arantior :

Rosar. ʒā. gt. iij.

M. F. S. a. Balsam.

d. in pyxide Eburnea

Sig. Stärk. Balsam inn anstreichen.

Laudantur à multis veteribus scriptoribus in hac operatione medicamenta opiata : Ita Tillingius in anchora salutis part. 4. cap. 25. maximè commendat laud: opiat : Veteres ad inducendum stuporem dederunt , ut patiens nullum dolorem exinde persentiscat. Verum recentiores non benè approbant, inter quos Guido de Cauliaco Doct. in cap. 8. narcotica prohibet , opiataque tutiora esse externè , quàm internè , etenim si parumper in dosi internè excedantur, multa mala ex-  
istere



iftere possunt, si minori in dosi, opiata non operantur, Vnde Medici interfit, diligenter tali in casu dispicere, an narcoticum sit salubre aut non: multa etenim in ipsa operatione peragere non est necesse, nihilq; magis in ægroto requiritur ac Herculis robur.

## C A P I T U M VI.

### Sequitur operatio ipsa & quo pacto instituenda.

**A**Nte omnia implorato supremi Numinis auxilio patiens præparatus, confortantibus & corroborantibus munitus; tum Chirurgus hac operatione peritus & exercitatus, non trepidus, sed hilari vultu ægrum ad bonum finem commonefaciat, ita ut bono sit animo: Sequentiaque Chirurgus semper observet. 1. ut habeat in promptu instrumenta ad operationem maximè necessaria. 2. Locum convenientem ad amputationem eligat. 3. Modum optimum. 4. Varia sanguinem sistentia sint parata. Sic 5. ut membrum amputatum arte ligetur vulnusq; consolidetur. Cùm autem alius hunc modum, alius alium foveat, & ita varius est: tam secundum Veteres quàm secundum recentiores, modum quendam adhuc ordinarium & antiquorum proponemus, ut istum Thomas Fienus Tract. Chirurgic. xi. cap. vi. describit, primus quem Celsus lib. 7. cap. 33. alijsq; antiqui docent. *Æger paucis cibo aut restaurativo aliquo roboratus superlectum ponatur, tum vir fortis crus aut brachium teneat duabus manibus paulo super locum sectionis faciendæ, & cutem & carnem quantum potest sursum attrahat, tum latitudine pollicis supra locum, ubi sectio faciendæ, fiat valde fortis ligatura, tum latitudine digiti sub ipsa ligatura cum novacula circum quaq; circum os caro tota persecetur, & quam festinantissimè exsecetur, fortissimè supra os ut ipsum quoq; periosteum possit persecari: eo factò statim os serra persecetur, tum sanguinis aliqua quantitas, quantum vires ægri commodè ferre possunt effluere sinatur, ut anterior ille sanguis, qui propter viciniam à parte emortuæ*



non nihil alteratus & infectus est, evacuetur, & sic occasio tollatur qua sana pars ab eo iterum infici possit: Ita Hieronym Fabric. Aquapend in sua Chirurgia alium modum amputandi proponit, idque in carne mortua uno digito transverso à sana, sic ut post amputationem tantum mortuæ carnis relinquatur, quantum est digiti latitudo, tum in illa sectione nec dolor sequitur, nec sanguinis effusio, & ut gangræna non latius serpat, ferramentis ignitis inurit, ita ut pars sana etiam aliquid uratur. Verum quarto capite hanc operationem, quæ magnum periculum semper secum fert, non nihil rejicimus modum idcirco certiores recensemus, suntque præcipuè duo secundum recentiores. 1. est Operatio Leonhardi Botalli in libr. de vulnerib. cap. 23. cum ait, operationem suam esse longè expeditiorem, modumque videtur habere talem qualis Venetiis est, cum maleficis manus detruncant quæ brevissimo tempore, imò uno momento & sine ullo ferè dolore fieri potest, & est modus ipsius sequens. Sunt duo lati cultri quorum unus intra duas columnas ligneas cippo infixus sit, sitque ille fixus situs loco inferiori & habeat aciem suam spectantem sursum: alter intra easdem columnas superiori loco collocetur, & sit ille mobilis, ut ex alto deorsum cadere possit, eo usque ut acie sua perveniat usque ad aciem inferioris cultri: habeat ergo superius ille culter aciem deorsum vergentem; sint autem utrinque in Columnis illis ligneis due fossæ seu sulci orthogonales, ut inter illos sulcos supernus ille culter ad amussim super inferum cadere possit, sic ut ad nullum latus deflectat. Ut supernus ille culter impetu deorsum feratur, debet magno pondere plumbi incumbentis desuper gravari, cum operatio facienda, debet ægri vultus averti, seu velo obduci, ne instrumentum videat, debent etiam aures ejus obrurari, ne audiat cultrum cadentem & terreatur: tum debet crus amputandum super acie cultri inferioris poni, tum præscindendus funis, quo superior culter columnis affixus est, ut deorsum cadat; Ille tum magna vi cadendo totum membrum & carnem & ossa simul & semel in uno oculi ictu amputat. Hujus inventionis triplicem Botallus addit rationem. 1. Nullam in operatione esse crudelitatem, cum non fiat serra vel cultro. 2. Esse longè expeditiorem. 3. Effluxionem parvam sanguinis fieri. Statuo autem & dico modum esse periculosiorem propter contusionem carnis & ossium, quæ ossa in fragmenta & particulas confringit, unde multa in commoda possunt oriri, debent enim



fragmenta per contusionem illam in carne relicta manentia quæri & extrahi, quare dum hoc fit magna interim hæmorrhagia sanguinis existit. Alter verò modus mox recensendus magis hîc in *Germania* & *Belgio* in usu, sicut ipse *Groninga* in *Nosocomiis* nonnullas amputationes crurum ut & manus praticari vidi. Ita hîc *Heidelberga* quatuor ante annos amputatio in milite aliquo supra genu fuit facta, beneque curata, qui adhuc in *Nosocomio* est superstes. Differt autem illa parum ab operatione illa antiquorum, excepto hoc, quòd æger sedeat in scamno convenienti propter meliorem amputationem, & ut Chirurgus commodè operationem faciat, membrum amputandum vinculis firmari, patiensque à ministris comprehendi queat, ne pars illa in operatione vacillet; dein cutis & caro sursum est attrahenda, fiatque si in pedibus administretur prima valida ligatura supra genu, (*Belga* ligaturam retentivam appellant) eritque non lata sed fortis, ea de causa ut æger minus dolorem percipiat, tum, ut ob vasorum constrictionem sanguinis fluxus meliùs compesci possit, postea infra genu similis fiat ligatura latitudine pollicis supra sectionem, ita ut cutis & caro non saltem altius attollantur, sed etiam incisione facta magis removeantur ab osse, ut ferra commodius transire possit: Sic *Hild.* lib. de *Sphacel.* cap. 19. Superius marsupium Coriaceum & Guido vinculum parti emortue adhibet, ut inter illa vincula melior & certior sectio fiat; est autem vinculum infra sectionem pro compescendo sanguine fortè è venis effluxuro, ne copiosè diffuat & copia sua astantes territet. Hoc peracto Chirurgus cultro falcato minusque incurvato quo operatio felicior fiat, quam festinanter circum quaque totam carnem musculosam resecat, & periosteum ab osse abradat ne illud à ferra dilaceretur, caroque musculosa cum tendine & periosteis intra tibiam & fibulam pedis cultello quodam myrtiformi discindatur, ne in amputatione impedimentum faciat: Denique ferra est adhibenda, sed ita, ut utrumque os tangat; observandum verò est, ne nimis fortiter ab initio secet usque ad mediam cavitatem ossium, tum videndum ut tractibus aliquibus ambo ossa avelli queant. Si verò pars fragmenti adhæreat, acuta forcipe citò absumenda est. Idem ferè modus cæteris paribus in manus amputatione.



## C A P U T VII.

## Instrumenta ad operationem necessaria.

**A**D scopum igitur nostrum perveniendum, quàm maximè hac in operatione requiruntur instrumenta, ea de causa, quòd hæc sint veluti ministri inanimes, rei que efficiendæ socii: quare operæ pretium erit, si breviter instrumenta exposuero, quibus communiter Chirurghi in operatione uti solent, & quæ necessario parata esse debent. Distribuuntur verò in genere trifariam instrumenta, ut ratione materiæ, formæ & usus, quæ *Ioh. von Horne in suo Microtechnie paragr. 27.* proponit. Ratione materiæ debent adesse varia, ut fasciæ, laquei, splenia, turundæ, pulveres adstringentes, stuppæ cannabinae, lintea concerpta, vesicæ bubulæ, *Fabr. Hild. addit marsupium coriaceum.* Ratione formæ cauteria nonnulla figuræ variæ, quæ semper ignitiis carbonibus imponantur usque ad usum. Ratione usus adsit novacula, culter falcatus magnus parumque incurvatus, cultellus myrtiformis, variæ magnitudinis rasoria, nonnullæ acus, & quæ præcipuè ferra, quâ solâ utimur in separando osse, maximèque hanc operationem commendat *Hild. de gang. & sphacel. cap. 19.* sintque binæ, quò, si una dissiliat, altera statim ejus vicem suppleat, absque ullo operationis impedimento, ita adsit forceps acuta: Vel quimalit in usum ducere *Botalli instrumentum* ab ipso descriptum *pag. 790.* quomodo etiam illud præcedenti nostro capite proposuimus. Quæ figuratæ reperiuntur in *Armariis Parai, Guillemæi, Fabr. Hild. Sculteti, aliorumque Authorum.*



## C A P U T V I I I.

Post amputationem quæ facienda, inprimis  
de hæmorrhagia sistenda & deligatione.

**F**Acta amputatione per instrumenta aderit statim hæmorrhagia, verùm si fortis instituaturs ligatura, non ita magnus erit effluxus, quare necessitas remedia quædam sanguinem sistentia requirit. Ponunt autem authores statim membro abscisso cauteria actualia. Quæritur idcirco utrum præstet partem inurere aut non? Cum quidam ustionem rejiciant, pulveresque astringentes velint: Inter quos *Ambr. Paræus lib. xi. cap. 22.* ustionem plane improbat, varias ob causas, suasque reddens rationes. 1. modum esse crudelem, maximumque dolorem inferre, partes enim amputatæ vivæ, si urantur, incredibile esse, quanto dolore afficiantur. 2. propter nervos, qui ustionem non ferunt, unde facilè convulsiones & quod teste *Hipp. sect. 5. Aph. 3. malum.* 3. partes inustæ difficilimè ad cicatricem pervenire. 4. periculum hæmorrhagiæ æquè inanere, etenim ustione facta & postea eschara cadente vasis apertis sæpe iterum oboritur. 5. Os per ustionem valde denudari, inde corrumpi, difficulterque tunc consolidari: Sic *Clarissimus Georg. Hierony. Velschius in suis Episagmat. Observ. Med. XCIII. Parisiis in Nosocomio à l'hostel de Dieu observavit unum agrum evasisse, cui ignis non fuerat admissus.* Ita *Marquardus Slegelius* de fluxu sanguinis ex membris amputatis dicit: *Quamvis pleriq; soleant sanguinem profluentem ex pedibus resectis ferramentis candentibus resistere, observasse se pulveres astringentes id facere.* Et *Avicenna lib. 1. c. 29.* monet, Cauterisatorem debere sibi cavere, ut fortitudine ipsius cauterisationis ad nervos ad chordas aut ad ligamenta perveniat, quòd si propter sanguinem cauterizaverit, sit ita ut crusta grossitiem habeat, & spissitudinem, & cito cadat. Suadet idcirco *Paræus cap. 31. & 33.* vasa singulatim eorum extrema subtili tenacula vel volsella esse apprehendenda, ex-



trorsum protrahenda, acu transfigenda, filoque adducto deliganda, & hoc tam diu, donec spontè cadant: Verùm hunc modum im-  
 probat *Gourmelenus syntag. art. 1. Chirurg. p. 125. & Fab. Hild. pag. 126.*  
*dicit, Cauterisatio est medicamentum valde utile juvans ad prohibendum*  
*ne corruptio spargatur, & ad confortandum membrum, cujus complexio*  
*est frigida, & ad restringendum sanguinis fluxum: Ita Thom. Fienu.*  
*tract. Chirurg. xi. cap. 8. totam Paræi sententiam refutat, modumque*  
 non valere & ustionem meliorem esse. Probat 1. quia cùm vasa  
 sint retracta, sic eorum extrema non possunt reperiri nec ligari.  
 2. nimiam moram requirit, & interim dum unum vas ligem, al-  
 terum nimium sanguinis effundit. 3. facilè ligatura in extremo pro-  
 pter vasis lubricitatem ac sanguine gliscendo decidit, unde irrita  
 denique ad omnia simul respondet, quòd nullus modus excogitari  
 possit, qui non habeat suum inconueniens, ille autem est præfere-  
 dus qui habet minùs, minùs autem habet & securior est, ustio  
 quàm non ustio. Statuimus itaque ustionem, (ita & diverso re-  
 spectu deligationem approbamus, cùm vasa deprehendi queant:)  
 verùm ut membro abscisso, cauterio majore & minori, pro ut  
 necessitas requirit, vasa majora & minora statim inurantur, totius  
 verò partis ustionem prohibemus: Peracta ustione cutis & caro ac  
 est transfigenda lentèque ad os amputatum attrahenda, tunc ex tem-  
 pore imponatur Stuppa cannabina cum albumine ovor: & pulve-  
 re Styptico. *Fab. Hild. seq. pulv. Catagmaticum commendat. R. Rad.*  
*Aristoloch. Peucedani. Frid: florent: Cort: pini, lig: guajaci. āā unc. s. F. pulv.*  
 Abstineat autem Chirurgus ab humidis & oleaginosis in denudatis  
 ossibus, quoniam facilè corruptionem ab iis patiuntur: dein supra  
 extremitatem membri emplastrum defensivum, vel dia palma, de  
 spermate ranarum, diachylon simpl:, membrum ambiens super  
 imponendum, quibus postea vesica bubula vino rubro austero ma-  
 defacta super inducitur, hæcque vesica iterum fasciis firmanda,  
 quare duæ ligaturæ cruciatæ adhibendæ, quo membrum benè lige-  
 tur: tum æger lecto accommodato mandetur, ita verò ut mem-  
 brum amputatum pulvillo coriaceo locoque alto sit positum, tam  
 propter frigiditatem aliquam corii, quàm propter fluxum: Chirur-  
 gus quoque benè prospiciat, ne æger dormiens truncum moveat, ipsi  
 quoque cordiale aliquod detur, ac sit per octo vel novem dies stri-



Optissima diæta in cibo & potu , aër frigidus vitetur , in eligendõ medium tenendum , somnus & vigiliæ justis temperentur mensuris, excretorum & retentorum decens habenda ratio, venerem cane & angue pejus fugiat , animi pathemata sint moderata , quòd ad motum , & quidem per tempus non peccet in excessu , nec postea in defectu. Tandem die tertio post operationem ablato inflammationis periculo & hæmorrhagia , deligatio absumentia , aliàs si diutiùs maneret, facilè fieret corruptio quædam sanguinis. Videndum itaq; ut eschara cadat , si non , digestivo aliquo unguento basilico misto vel butyro simpl. succurrendum : eschara lapsa , utendum est sarco- tîcis, inprimis pulvere jam præscripto, addendo *pulv. de lap. Calamina- ri, Myrrh. rubr. Aloë Mastich. corall. alb. & rubr.* sic ad separationem õssis escharæ omni in die semper nova deligatio est faciendâ ung. Apostolor. ægyptiaci aliquid misti. Insuper natura circa decimum vel decimum quartum diem post amputationem carne aliqua vulnus incipit obtegere, & ut modo posui, cutis & caro filis transmissis sen- sim semper adducta , ita ut exinde vasa contrahantur , ac tandem emplastris attractivis adhibitis consolidatio fiat, unde perfecta & ple- naria erit curatio. Verùm an membrum iterum renasci possit, quæ- ritur ; quod negatur : Licet *Schenck. lib. 5. de Affect. manuum Ob- serv. 1. ponat : Manum præcisam intra annum esse renatam* ; cum tamen impossibiliter à natura possint reparari , sed tantummodo ab arte , quæ à necessitate inventa est, luctus necessitasque ingenia hominum excitat ad plurima inveniendâ , si manus vel pedes recisi fuerint , arte excogitandum manum vel pedem ex ferro , argento vel ligno conficere instrumenta , ut *Paræus lib. 22. fabrum quendam describit , qui mirificè excellebat in conficiendis manibus ferreis vel ligneis pedibus,* qui destinati fuerunt motui ambulationis : de qua re plenius con- sule Excellentissimum DN. Præsidem , qui singulari Disputatione ante paucos annos tractatum *de Restitutione in Integrum* edidit, quot- sum me brevitatis causa remitto. Interim hæc de generosâ hâc ope- ratione , pro ratione instituti hâc vice scripsisse sufficiant , tu verò Lector ut hæc qualiacunq; benignè accipias , erroresq; si fortè à me commissi fuerint, benevolè corrigere haud dedigneris, submissè rogo

Tibi TRIVNE DEVS pro concessa gratia sit laus & honor  
in sempiterna secula ?



## Corollaria.

1. Chirurgia est medicina antiquissima; immò non est antiquissima, utrumque in respectu ad diætam & pharmaciam.
2. An cancer sit curabilis. D.
3. Frigida ulceribus & ossibus sunt mordacia & inimica calida autem magis amica.
4. Pulsus laudabile vitæ signum, verùm in gravissimis morbis maximè fallit. Interim non opus est bis mille pulsuum differentiis, quas tamen statuit Galenus.
5. Stercus & urina Medicorum fercula prima dicitur per scomma: sed revera isti nugigeruli sæpe reapse experiuntur & degustant in morbis multis stercus & urinam esse admirandam medicinam.
6. Dari plantas específicas, immò cephalicas, oculares, Thoracicas, spleneticas &c. est ingeniorum luxuriantium figmentum juxta Ammannum.
7. Nec rationes auctoritatibus, nec auctoritates rationibus semper præponderant.
8. Nulli morbi solo contactu vel afflatu vel osculo sanantur.
9. Caseum esse nequam nequiter dicitur, quin immò citius est salubris & laudabilis, naturæ amicus.
10. Vinum rubrum refrigerare, & hinc tam in æstate, quàm in dysenteria prodesse strenue nego.

F I N I S.